



~~247~~

EX BIBLIOTH.

NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

VI-59.

SIGNAT. CISICCCXIII.



Q. D. B. V.

DISSERTATIO

DE

ATTRIBUTIS
DIVINIS IN GENERE, 20

Quam

SUB PRÆSIDIO

VIRI PRÆCLARISSIMI

DN. M. PAULI PLATANI, Hung.

DN. Præceptoris, Fautoris & studiorum suorum,
Promotoris observanter colendi.

H. L. Q. C. die 19. Octobris Anno 1678.
publicè defendet.

GEORGIUS FOERSTERUS,
Gorl. Lusat.



WITTENBERGÆ,

Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

h. III. 2955





P R Æ F A T I O .



Vi sacris sunt initiati atq; religioni promo-
venda student, illorum maximè interest, ut ea stu-
dia tractent quæ foro proprio accommodata sunt,
eiq; profutura esse norunt. Inter alia uti nobilis-
simum ita utilissimum est studium, quod circa con-
templationem DEI versatur, eorumq; labor & pius & laude di-
gnus meritò censetur, qui in hoc argumento occupatur. Neq;ve
colitur sincerè DEUS, nisi prius sincerè cognoscatur, nec cogno-
scitur, nisi per diligentiorē adhibitam speculationem. *Et
quamvis, inquit, B. Jacobus Martini in Exercit. Metaphys. p. 635.
minimè ignoremus naturalem illam notitiam admodum tenuem, &
respectu revelatæ nullam esse, quum tamen divina veritas in creatu-
ris elucere asserat, nulli dubitamus magnum illum natura librum e-
volvere, ut discipuli simus, non solum Prophetia, sed & Natura.*
Unde Tertullianus Lib. de Resurrect. Carnis inquit: *Premisit
DEUS naturam Magistram submissurus & Prophetiam, quo facilius
credas Prophetia discipulus Natura.* Quare constituimus de At-
tributis Divinis paucis disserere, quantum de iis ex ratione &
scientiâ naturali cognoscere licet, veram ac genuinam sententi-
am propugnando, falsas verò confutando. Sæpè enim in hoc
argumento periculosè erratur, ita ut etiam in Theologiam & fi-
dem Catholicam hæreticæ opiniones invehantur. Nam etsi
quidam concedant Attributa DEO convenire, minus tamen sin-
cerè de eorum Quiditate, Distinctione & aliis, quæ hîc conside-
randa veniunt, sentiunt. Quidam docent talia prædicata de DEO
tantum per *ἀνθρώπων ἰδέαν* dici. Ut his & similibus falsis o-
pinionibus occurramus, operæ pretium esse duximus. In quo
proposito nos adjuvet DEUS!

§. I. Ut à vocis explicatione ordiamur nostrum discursum,
primùm examinabimus *Ὀνομαλογία* cum ejus partibus,
ut ita facilius in rei ipsius cognitionem perveniamus. Et qui-

A 2

dem

dem quoad Etymologiam **Attributa** dicuntur ab attribuendo, eo quod **Subjecto** verè & realiter tribuantur, & ei conveniunt ex naturâ citra mentis fictionem. Quamvis terminus hic ex primâ impositione ut notat Klotzius in Theol. Nat. c. 3. de **Attributis DEI** p. 263. & seqq. ea prædicata dicat, quæ extra **Essentiam** rei sunt, & ei inesse perfectò jam constitutæ superveniunt, uti **accidentia** Enti creato dicuntur attribui; tamen cum usus terminorum non ex primâ impositione judicatur, sed ex hodiernâ usurpatione, ideò & **Terminus** **Attributi** hodiè ita adhibetur, ut etiam ad talia prædicata extendatur, quæ cum ipsâ **essentiâ** identificantur, quæ sunt **Affectiones** Entis Unitæ, item **Attributa Divina**. &c.

§. 2. Hoc constat clarius ex **Homonymiæ** & **ambiguitatis** evolutione. Sumitur enim **Attributum** variè. Et quidem vel (1) **specialiter**, quo pacto significat aliquid superveniens suo **Subjecto**, ei; vel **inhærens**, vel **adhærens**, vel **circumstans**, ut loquitur idem Klotzius l. c. & sic **accidentia** in hac speciali significatione **Attributa** dicuntur. Vel **Generaliter**, & notat omne prædicatum, quod **Subjecto** attribuitur, per modum cujuscunq; **affectiois** aut **passiois**, sive à **Subjecto**, de quo illa passio enunciat, distingvatur, sive non. Vel generalissimè, prout etiam prædicata **essentialia**, sive de conceptu primo talia, suo significato complectitur. Quando igitur de **Attributis Divinis** sermo est, tunc media illa acceptio locum obtinet. Unde (2) alia dicuntur **Attributa Synonymica** sive **quidditativa**, quæ ipsam **essentiam** & **definitionem** ingrediuntur, inter quæ refertur **Ens**, **Spiritus** &c. Alia **Paronymica** sive **qualitativa**, quæ ex illis prioribus quasi fluunt, & ipsam **essentiam** secundum nostrum concipiendi modum sequuntur. De posterioris Ordinis **Attributis** nobis sermo est. (3) **Attributa** alia sunt **Communia**, quæ **DEO** competunt ratione entitatis, de quibus agit **Metaphysica**: Alia verò **Propria**, quæ **DEO**, quatenus **DEUS** est, tribuuntur. Denique (4) alia **Attributa** sunt, quæ **Deo** propriè tribuuntur, alia verò quæ **DEO** tribuuntur tropicè; foret enim absurdum talia de **DEO** posse dici propriè v. g. quòd **DEUS** sit **Leo**, **ignis** consumens &c. Sed uti monet venerandus noster **Calovius**, hæc non tam esse **Attri-**

Attributa, quàm aliqua prædicata, quæ DEO tribuit Scriptura. De prioribus igitur hic sermo est, non verò de posterioribus. Quia verò ex duplici principio illa cognoscuntur, alio superna-
turali, quod est Revelatio, & sic sunt Objectum fidei, alio natura-
li, & ita sunt Objectum Scientiæ, qualis scientia est Theologia
Naturalis.

§. 3. Quà Synonymiam sive variam appellationem ob-
servandum est, quod variis nominibus appellentur attributa.
Aliter enim vocantur Essentialia consecutiva, quia ipsam Essen-
tiam consequuntur, termino tamen depurato, & per quandam
Analogiam id intelligi debet. Item vocantur Prædicata Paro-
nymica, quia non sunt de primo, sed de secundo modo dicendi,
nec Synonymicam, sed paronymicam constituunt prædicatio-
nem. Disting. tamen est inter paronyma prædicamentalia &
supraprædicamentalia. Hæc, non illa dici possunt. Quicquid
enim prædicatur extraessentialiter, illud vel saltem quàm nostrum
conciipiendi modum paronymicè enunciatur. Atqui Attributa
Divina. Vocantur quoque Propria, quia soli DEO & semper
conveniunt. Tenendum tamen est, quod terminus proprii ac-
cipiatur dupliciter (1) Physicè, & sic notat accidens quoddam
Substantiæ inhærens, ac realiter à Suo subjecto separabile. (2)
Logicè, & sic proprium non id tantum dicitur quod Subjecto in-
hæret & cum eo reciprocatur, sed etiam id quod identificatur
cum Subjecto, sicut Philosophus primò topicorum definitionem
dixit Proprium. Posteriori modo possunt dici Attributa Propria,
ut notat B. Gerhard. in loc. Comm.

§. 4. Sed missâ Nominis explicatione, rem ipsam tractan-
dam aggrediemur ac *πραγματολογίαν* examinabimus. In hæc
sele ante omnia offert Existentia Attributorum, quæritur e-
nim & disputatur hodiè, Num Attributa Divina intrinsecè, pro-
priè ac revera DEO convenient, ita ut ante & extra omnem con-
ceptum dentur in DEO? Quamquam non admodum multi sint,
qui ita ad hanc lucem veritatis cœcutiant, si paucos tùm ex Ve-
teribus, tùm ex Recentioribus exceperis, in. admodum pernî-
ciosè errant. Inter veteres fuit, referente B. Klotzio Rabbi Mo-
se, qui Attributa affirmativa nihil aliud esse voluit, quam remo-



tionem & negationem illius rei, quam de Subjecto non negatum
iri putabamus, nec tam per illa de DEO aliquid affirmari, sed sal-
tem aliquid removeri statuendo. Alii etiam putabant, quod hæc
Attributa tantum sint nomina, per quæ significatur non quod
Deus talis sit, sed quod tales res faciat, ut cum v. g. dicitur DEUS
bonus, justus &c. juxta horum sententiam, nihil aliud dici, quam
Deum esse causam bonitatis, justitiæ &c. in rebus ab ipso crea-
tis, & sic nudam relationem sive habitudinem DEI ad creaturas
tanquam causæ ad effectum significari. Ex Recentioribus sunt
quidam Calvinianæ Sectæ addicti, inter quos est Massonius &
Becmannus, asserentes: Ea tantum quæ nostrum concipiendi mo-
dum, reverà tamen & propriè non esse in Deo, uti eos citat B.
Scharff, in Pneumatica, D. Calov, in Syst. Et in specie Becman-
nus in Discept. Servestian. p. 294. dicit: *In DEO virtutem divinam
dari esse dubium, & tantum secundum nostri infirmitatem intelle-
ctus hæc de DEO dici.* Qui error perversus est & impius, uti mox
probabitur clarissimè.

§. 5. Antequam tamen probemus Existentiã Attributo-
rum, utiliter hic ea moneri possunt, quæ dicta sunt circa Homo-
nymiam. Et præprimis quod (1) Attributa hæc intelligantur non
prædicamentalia, quæ in rebus creatis, finitis obvia habemus, sed
transcendentia, quæ non secundum vulgarem inessendi mo-
dum in DEO sunt, verum secundum modum inessendi planè
singularem & supereminentem, quia juxta regulam: Proprieta-
tes sequuntur indolem Entis, & talia sunt prædicata, qualia esse
permittuntur à suis subjectis. At verò Deus est Essentia infini-
ta, & eminentiã suã omnia prædicamenta transcendens, ideò et-
iam rectè singularia Attributa sibi vindicat. Et cum creaturis ea-
dem prædicata tribuuntur, quæ DEO tribui solent, ut justitia, mi-
sericordia &c. illud de DEO infinitis modis, gradu eminentiori
intelligi debet. Ac ideò (2) dist. esse inter hæc prædicata quoad
rem, & quoad habendi modum. Licet Bonitas, justitia &c. de DEO
dicatur & de homine, modus tamen habendi in DEO est eminen-
tissimus, quia quod creatura habet per participationem & de-
pendenter, DEUS id habet per Essentiam & independentem. Ex
quâ ratione Attributa hæc communia de DEO & creaturis non u-
nivoce verum Analogicè dicuntur, nec tamen impropiè, quia
analo-

analogia non negat rei veritatem, ut habet regula. Nec (3) tantum hic intelliguntur Attributa secundum nostrum conceptum talia, quæ per actum intellectus rei tribuuntur; sed Attributa vera & realia, quæ ante omnem operationem intellectus, res sibi vendicat. Nam si ab intellectu tantum tribuerentur, nullo fundamento rei deprehenso, tunc intellectus non esset verus, sed fictus, quia juxta Philosophorum axioma: Intellectus non mensurat res ipsas, sed mensuratur à rebus, & in tantum verum dicit, in quantum correspondet rei & conceptui objectivo, secus vero si discrepat, etiam censetur esse falsus. Et quis mihi persuadebit non prius DEum fuisse æternum, misericordem &c. quam hæc de ipso vel concepta vel enunciata sunt, cum ex naturâ DEI in DEO aliquas perfectiones significant, perfectiones autem DEO ab intellectu tribui absurdum est. (4) Dist: deniq; est inter conceptus hujus imperfectionem, quo nos Attributa in DEO concipimus, tanquam distincta à divinâ essentiâ & ex eadem instar accidentium fluentia, & falsitatem, quæ planè nullum fundamentum in re præsupponit veritatis. Concedimus hunc modum concipiendi esse imperfectum, sed negamus esse falsum. Nec ullam esse consequentiam, est imperfectus, E. falsus, quia imperfectum non opponitur veritati, sed ipsi perfectio, & sic potest simul esse imperfectum & verum. Et tenendum est illud hic Augustini lib. 5. de Trinit. c. 1. *Intelligimus DEum quantum possumus. sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia creatorem, sine situ presentem, sine habitu omnia comprehendentem, sine loco ubiq; totum, sine tempore sempiternum, sine ullâ sui mutatione mutabilia facientem, nihilq; patientem.*

S. 6. Jam ostendenda erit falsitas opinionis dissentientium, & veritas nostræ sententiæ evidenter stabilienda. Et quidem quod attinet veteres in specie Rabbi Mosis uter aliorum, illam refutavit solidè B. Klotzius l. c. Nos addimus contra eundem (1) quia terminis positivis de DEO enunciantur, igitur positivam aliquam perfectionem inferunt. Antecedens patet ex exemplis, dicitur enim justus, sapiens, omnipotens, quæ certè positivam aliquam perfectionem inferunt. Consequentia patet, quia modus significandi, sequitur modum essendi. (2.) Quia hæc prædicata

dicata quæ de DEO dicuntur formaliter positivam perfectionem inferunt E. oportet, ut enunciata de DEO affirmant, non autem removeant. Consequentia patet, quia aliàs Enunciationes falsæ essent, si affirmativæ dicerent DEO hoc vel illud competere, nec tamen positivam aliquam perfectionem quæ rem connotarent. Quamvis dicuntur & Attribute negativa de DEO, ea tamen saltem voce, non re negant aliquid in DEO. vid. Excell. Donati Colleg. Privat. Pnevmat. Quod attinet alteram ex Veteribus sententiam, illam quoque refutat Klotzius. Nos addimus pauca, argumentando: Si de DEO Attribute hæc tantum idè verificarentur, quia est causa horum Attribute in creaturis, sequeretur, quod antea DEus non poterat dici justus, sanctus, æternus, imò sanctitatis, justitiæ non posset esse causa, quia quod quis non habet, alteri dari non potest: Atqui hoc est absurdum E. & illud. (2) Si DEus ex se & sua natura non haberet hæc Attribute, sequeretur nullam esse Analogiam Attribute Divinorum & humanæ naturæ, & sic ex perfectionibus creaturæ rationalis non possemus pervenire in cognitionem ipsius DEI, tanquam ex effectis ad causam. Atqui hoc itidem est absurdum E. & illud Maj. quia id quod nullo modo est in DEO, non potest DEum repræsentare. Min. patet, quia per viam causalitatis à creaturis ad DEI notitiam pervenitur.

§.7. Sed Recentiorum èd perniciosior est sententia, quò magis propior est nostræ ætati, & occultat sese mentito Christianitatis nomine, quam etiam hic paucis refellemus. Et quidem 1. petimus argumentum ab Objecto scibili, argumentantes: Quicquid sub Objectum scientiæ cadit, illud necesse est, habeat Attribute. Atqui DEus est tale Objectum E. Maj. patet, quia scientia expendit tria, Objectum, affectiones, & species vel quasi species. Igitur si DEUS non haberet Attribute, non posse dici Objectum scientiæ realis. Utut dicant Attribute in his transcendentalibus Objectis esse ipsum objectum, dicimus enim esse quidem idem si spectentur materialiter, non tamen formaliter, hoc enim pacto nunquam Attribute sunt ipsum Objectum, sed illi contradistingvuntur. 2. Argumentum desumimus ex naturâ ipsius Entis, sic inferendo: Quod est verum Ens, illud ve-

ra habet Attributa, sed DEus est verum Ens. E. Major, quia implicat contradictionem esse Ens verum, & non habere Attributa, siquidem etiam ipsa veritas est Attributum. 3. Desumimus ex absurditatibus: Si Attributa non conveniunt DEO ex se & sua natura, sed tantum secundum intellectum nostrum, sequeretur (1) quod de DEO non potuerit dici ante intellectum creatum quod fuerit æternus, immensus, verus. (2) Sequeretur DEum neq; bonitatem neq; veritatem creaturis potuisse dare, quia quod non est in causa, non potest esse in effectu. (3) Sequeretur creaturas nobiliores esse, quam ipse est Creator, ratio est, quia juxta sententiam Adversariorum creaturis propriè, creatori verò impropiè hæc tribui. Sed hæc omnia non tantum absurda, sed & impia sunt. E. vid. Scheibler.

§. 8. Sed postquam constat de Existentiâ Attributorum, quod scilicet talia reverà dentur in DEO, videnda est eorum Essentia & Quiditas, quæ litem parit maximam tam Theologis, quam Philosophis. Inter alios adducimus Gilbertum Porretanum Pictav. Episcop. qui anno 1248. Attributa Divina accidentalia statuit, ac idè meritò ab Eugenio in Concil. Remens. fuit damnatus, sicut Bernhardum Serm. 80. in Cantic. hanc in rem adducit testem noster Calovius in Systemat. Huic accenseri potest Vorstius, qui cum decreta divina statuat esse accidentia, quæ in DEO ab æterno non fuerunt, necessario quoque Attributa accidentia statuisse, censeri debet. vid. apud Klotzium l. c. Ab his omnes dissentiunt quotquot in hoc argumento olim versati sunt & hodiè occupantur ex Nostratis B. Klotzium, Scheibl. D. Calov. & alii, negantes Attributa Divina esse accidentia accuratè loquendo, nam impropiè quin possint dici, non valde inficiabimur. Ob quas verò rationes accidentia negemus, eas evidenter jam adducemus.

§ 9. Omis sis aliis rationibus quas ex Scriptura Theologi deducunt, probamus iis rationibus, quas Numen naturale supeditat. 1. Petimus argumentum ex DEI simplicitate, quam hic & nunc supponimus, tanquam indubitaram, cum quâ etiam omnes perfectiones divinas consistere posse judicamus. Atque hæc præsuppositâ ita argumentamur: Quod est summè simplex,
B illud

illud non admittit accidentia. Atqui DEus est summè simplex E. Maj. quia Essentia constans accidentibus, necessariò evadit composita. Id confirmatur: Quod enim realiter est separabile ab Essentiâ, illud infert compositionem. Atqui, accidentia &c. E. Etsi in Deo esset aliquod accidens, oporteret illud esse aut realiter, aut saltem modaliter ab Essentiâ Divinâ distinctum: hoc autem est impossibile, quia quicquid est in eò realiter, illud non distinguitur ab ipsò, nec potest esse accidens nisi ipsa substantia. E. etiam impossibile est in DEO illud dari. 2. Argumentum desumimus à summâ perfectione, cum enim DEus sit Ens summè perfectum, ex vi talis esse perfecti, non potest capax esse accidentium, nam quod est capax accidentium, illud perficitur, quod autem perficitur, non potest esse summè perfectum, quale DEus hic supponitur, & conceditur ab ipsis quoque contradicentibus. Argumentamur igitur: Qui est summè perfectus, ille non admittit accidentia. Atqui DEus E. cujus argumenti vis patet ex jam dictis. Et cui bono sapientia accidentalis vel justitia &c. Deo essent, cum ex vi suæ Essentiæ est summè sapiens, justus & misericors. Vid. Swartz. Tom. 2. Disput. 30. p. 58. & alii Autores supra citati.

§. 10. Nos autem quid sentiamus de Quiditate & Essentiâ Attributorum, sine distinctione adhibita explicari non potest, dum enim Attribute Divina diversimodè considerantur, idè pro diversâ hâc consideratione diversum quoque respectum admittunt. Vel enim Attribute Divina considerantur in se ac absolutè citra respectum ad conceptum nostrum prout identificantur cum ipsâ Essentiâ, & sic, uti DEus est suum esse, summè perfectum, ita in ipso suo esse omnem perfectionem claudit, nec sunt aliud ab ejus Essentiâ, licet ut diversum quid à nobis concipiantur. Si enim diversum quid essent ab ejus Essentiâ, id fieri non posset sine aliquâ verâ compositione & naturali resultantia, potentialitate & aliis imperfectionibus, uti loquitur Swartz. l. c. Sect. 6. Num. 3. de quo nos in sequentibus. Distingvendum tamen est inter Essentiam adæquatè sumptam & inadæquatè. Posteriori modo dicit mihi Essentiam hoc vel illud Attributum non priori. Sic v. g. Bonitas notat ipsam Essentiam inadæquatè

tè sumptam. Vel considerantur *Attributa formaliter & in re* spectu ad intellectum nostrum; & ita non sunt ipsa *Essentia*, sed, quidem *contradistinctum* ipsi *Essentiæ*, utpote *Conceptus* secundum di ex primo fluentes. Nam cum *DEus* sit pelagus quasi, inquit Scheiblerus ex Damasceno, multarum perfectionum, noster verò intellectus eas distinctè propter nativam infirmitatem hæc uno actu cognoscere nequit, ideò *Essentiam simplicissimam* & in se indivisibilem in plurimos conceptus inadæquatos partitur, & modò sub conceptu bonitatis, modò sub infinitate, modò sub justitiâ &c. eandem sibi repræsentat. Vid. Scheibl. in Part. Special. Metaphy: Illustrat. hoc Excellent. D. Strauch. in Colleg. supradef. Theolog. simili, sicut *Plebei quando nummum magni valoris accipiunt, non possunt valorem ejus cognoscere, nisi is per partes nummulum ostendatur: ita noster intellectus non potest commodè cognoscere Essentiam Divinam, nisi per partes quasi dividat cognoscendo Essentiam Divinam.*

§. II. Quod verò *Attributa Divina* sint ipsa *Essentia divina* à parte rei, patet id ex jam dictis, præcipuè dum diximus si diversa essent ab *Essentiâ Divinâ*, tum *DEus* utpote *Ens simplicissimum* foret compositus, non tantum compositione rationis, sed reali propriè sic dicta, quomodo alia *Entia* creata sunt composita ex re & re. Patet id quoque evidenter ex hoc, si enim quæram: *Illam eminentiam quæ supponitur à parte rei sive ab Essentia Divina diversa & realiter distincta, aut finita aut infinita est?* Si prior erit aliquid finitum, creatum in *Ente infinito, increato*, si posterius concedenda erunt plura infinita, quorum utrumque est contradictorium, & à Philosophis sanioribus jam dudum è foro Philosophico explosum. vid. Swartz. Disp. 30. Num. 3.

§. 12. Quod verò sint conceptus inadæquati, ut formaliter considerantur, patet ex eo, si enim totam *Essentiam Divinam* adæquatè quæ omnia prædicata quæ in eâ implicantur, significarent, sequeretur non esse *Attributa*, sed *Synonyma*, quæ æquipollentem inferunt notionem rei, non secus ut *Synonyma Entis* idem significant, quod *Essentia*. Deinde patet id quoque ex modo concipiendi nostro, audito enim termino æternitatis per quem rem concipio ut in duratione indivisibilem non concipio explicitè ipsam *Essentiam*. Idem de Ubiquitate, per quam concipio *Ens* aliquod in omnibus ubi, & aliis attributis patet, quæ

explicitè non indicant ipsam Essentiam; sed tantum implicitè. Videri potest hâc de re B. Scheibl. loc. supracit. qui inter alia dicit, quod nulla affectio implicet singula sub conceptu distincto ac proprio, quæ in Essentiâ divinâ continentur, uti hoc exemplo æternitatis ostendit, quæ non implicat infinitatem in adessendo, neque illam.

§.13. Essentiam Attributorum excipit distinctio eorum, quæ non minus controversa est & declaratione indiget, quàm cœtera, de quibus hæcenus actum est. Et quæritur non solum quomodo ab Essentiâ, sed etiam quomodo inter se differant. Circa utrumque; paucis erit dicendum, contra eosdem Adversarios, qui in præcedentibus jam sunt adducti. Nam eò ipsò quò statuunt Attributa Divina esse accidentia, eò ipsò necessariò statuere debent ea ab Essentiâ, & inter se realiter distingvi. Præter hos dantur quoque alii, qui partim in defectu, partim in excessu peccant. Aliqui sunt, qui asserunt Attributa Divina ab Essentiâ & inter se, ne ratione quidem distingvi, quales sunt nominales ita Scholasticis dicti, & in specie Gabriel, Gregorius, Occamus &c. & alii, quos citatos vide in Syst. Calov. Quæst. 1. & apud alios. Uti in Colleg. Excell. Dn. Donati privato. Alii sunt, qui inter Essentiam & Attributa Divina realem, & ex naturâ rei distinctionem constituunt, inter quos putatur esse Scotus, quem tamen excusat Swartzius Disp. 30. dicendo: *Credibile non est, Scotum re ipsâ ab hæc certâ doctrinâ discrepasse, sed alio sensu usum fuisse nomine distinctionis formalis, & ex naturâ rei, & moderni ejus discipuli latius tradunt.* Sed alii sunt præter hunc, qui hujus distinctionis Patroni esse censentur, uti illi, qui Attributa accidentia esse statuunt. Alii verò mediam insistent viam, & nec realem, nec etiam planè nullam distinctionem statuunt, sed uti ab Essentiâ, ita inter se distingvi putant ratione ratiocinata, quam & nos sententiam amplectimur, evidenti rationum pondere eam probaturi.

§.14. Priusquam verò sententiam nostram probemus, quædam prænotanda erunt, ne ambiguitate magis veritatem involvamus, quàm evolvamus. Non repetemus ea, quæ dicta sunt in præcedentibus circa ambiguitatem Attributorum evolvendam, cum ea satis jam ex dictis constet. Hic tantum dist. 1. inter Attributa vera & realia; & inter Attributa realiter distincta. Prius conceditur

ditur à nobis, non posterius; Nam quia Essentia divina Ens est verum & reale, necessum est quod; ut habeat Attributa vera & realia. Posterius quod non possit fieri, quia ille concipiendi modus, per quem illa multitudo Attributorum oritur, est tantum externus, externus autem Conceptus Essentiam non componit realiter. 2. Dist. etiam cum Scholasticis inter distinctionem rationis ratiocinantis quæ nullum fundamentum in re supponit; & rationis ratiocinatæ, quæ non fingitur tantum; sed fundamentum aliquod habet in re ante operationem intellectus. Posteriores dicimus admittere Attributa Divina non priorem. Etenim quando vel justitia ab Essentiâ, vel à misericordiâ distinguitur, non est nudum figmentum, sed habetur fundamentum in re, id quod patet à posteriori, aliter enim operatur Deus secundum justitiam, aliter secundum misericordiam, secundum illâ punit, secundum hanc miseretur. Quorum igitur effectus distinctus est, illud etiam aliquo modo inter se distinctum erit, at minimum distinctione rationis ratiocinatæ. Hinc 3. dist. inter distinctionem realem strictè, quæ est inter rem & rem, & laxè sic dictam, prout omne id dicitur realiter distingui, cujus distinctio non fingitur. Posteriori modo realis distinctio potest dici, non priori.

§. 15. Sed ut adhuc clarius explicetur hæc difficultas quæ facile gravissimum parit errorem, si non ab ambiguitate plenè vindicetur, observandum est, quod ex naturâ rei distingui, vel dicitur absolutè citra modificationem vel cum modificatione scilicet ex naturâ rei formaliter. Illa est præter & ante mentis operationem, hæc per operationem intellectus, & h. l. admittitur. Illa tamen adhuc duplici sensu potest intelligi, ut docet D. Strauchius in Collegio manuscripto super definitionis, vel distincta esse statuuntur actu ante omnem cogitationem, vel potentialiter tantum sive virtualiter sunt talia. Attributa Divina nec inter se nec ab Essentiâ divinâ distinguntur ante Operationem intellectus actualiter, virtualiter tamen & eminenter ita distinguntur, quatenus ante operationem intellectus objectivè dicuntur rationes diversas formales, quæ diversitas actualis, fit per operationem intellectus. Deinde Attributa Divina considerantur, velut sunt Conceptus Objectivi, vel prout sunt conceptus formales sive ideæ, quæ mihi repræsentant Attributa Divina. Conceptus formales quæ mihi repræsentant Attributa Divina, diversi sunt in mente & separabiles, quo enim momento concipio justitiam, eo non concipio misericordiam

misericordiam DEI, & sic de cœteris. At verò Conceptus Objecti quod attinent v. g. justitia, misericordia, non sunt Attributa inter se distincta. De hoc posteriori nobis sermo est.

§.16. Jam probanda est nobis veritas & removenda falsitas. Et quidem quod differant ab Essentiâ jam in superioribus attigimus non obscure, aliàs enim Attributa ad Synonyma Essentiæ divinæ pertinerent, & tantum essent varia nomina, non verò inadæqvati conceptus unius simplicissimæ Essentiæ divinæ. Et patet ex distincto modo concipiendi audito enim termino Essentiæ divinæ, non conciplo eju. vel Unitatem vel Sapientiam &c. nisi implicite, ad explicitum enim conceptum cujuslibet Attributi, necessaria est determinatio sub specificatione cuius Attributi propria. Quod distingvantur inter se, patet vel exinde, quia admittunt prædicata contradictoria, & cum denominatur à Sapientiâ, ratio denominationis non desumitur ex bonitate ac misericordiâ, implicat enim contradictionem aliquid dici Sapiens ob bonitatem vel misericordiam. Ex hoc igitur fundamento sequitur ad minimum Attributa Divina formaliter distingvi tam ab Essentiâ, quàm inter se.

§.17. Quod verò non distingvantur realiter sive ab Essentiâ sive inter se, patet itidem ex superioribus, ubi negavimus Attributa Divina esse accidentia, esse enim hoc contra summam DEI simplicitatem. Nam quicumq; est simplicissimus simplex, ille non constat ex illis quæ realiter ab Essentiâ distingvantur. Atqui DEUS est simplicissimus simplex. E. Addo & hoc, quod cum Attributa tum de Essentiâ, tum de se invicem prædicentur in abstracto. E. ab Essentiâ vel inter se realiter non distingvantur. Consequentia patet, quia prædicatio in abstracto non potest in illis esse, quæ reali distinctione gaudent. Manet igitur ea distingvi saltim ratione ratiocinata, quæ qualis sit, diximus in præcedentibus, scilicet non merò ficta, sed dependens ex vero aliquo fundamento. Hoc uberius hic explicat B. Ebelius: Essentia humana operationes suas varias exercet per varias qualitates accidentales, tanquam virtutes ipsi Essentiæ superadditas, & ab eâ ut & inter se à parte rei distinctas & quidem actu sic punit per justitiam, miseretur per misericordiam, benefacit per benevolentiam &c. At Divina Essentia propter infinitam suam perfectionem omnia hæc per se ipsum præstat sine ejusmodi qualitatibus vel virtutibus re ipsa actu diversis. De quo videri potest in aph. Mataphy, Disp. 14. num. 17.

§. 18.



§.18. In his verbis citatus Autor triplex fundamentum distinctio-
nis rationis rationatæ proponit. 1. est realis diversitas Attributorum
in creaturis, quorum occasione per quandam analogiam intellectus
noster arguit diversitatem Attributorum Divinorum, dico notanter
per quandam analogiam, non enim omnis identitas & univoca con-
venientia attenditur, aliàs enim ut attributa in creaturis realiter ab
Essentiâ distingvuntur, ita ab Essentiâ divinâ distingvi debere, quod
planè absurdum est. 2. Fundamentum est diversitas operationum &
effectuum distinctio, quorum diversitatem intellectus noster intu-
ens quoque multiplicat illas ipsas virtutes, à quibus hi effectus pro-
manant per inadæquatos conceptus eas concipiendo, ita justitiam à
misericordia &c. in homine distingvit, ut fluentes à diversis virtuti-
bus. Hinc quando in Deo considerat misericordiam, quam exhibet
miseris hominibus, & justitiam secundum quam DEum ut punientē
concipit, ut distincta facit propter distinctum influxum horum attri-
butorum. De quo vid. Klotzius in Theol. Nat. p. 292. 3. Fundamen-
tum est summa DEI Essentiæ perfectio, & nostri intellectus imperfe-
ctio, qui ita occupatur circa objecta cognoscenda, ut uno prædicato
distincto cognito, non cognoscat alterum. Intellectus enim noster ut
loquitur Klotzius per partes DEUM apprehendit, atque sic unum sim-
plex multiplicibus conceptibus sibi repræsentat. Non quod plures
sint in DEO formalitates objectivæ, sed quod plures formalitates in
nostro concipiendi modo sistantur, à quibus DEus per denotatio-
nem extrinsecam, uti cognitus, ita & distinctus dicitur, adeoque non es-
se hanc distinctionem aut ipsius Objecti, aut plurium conceptuum
Objectivorum, sed unus idemque conceptus objectivus diversimodè à
pluribus actibus intellectus sive conceptibus formalibus attingitur.
vid. Autor cit. in Theol. Naturali Disput. 5. de Attributis in genere
p. 289. & seqq. Ex quibus suppositis argumentamur: Q. distinctio ha-
bet fundamentum in re, illa est rationis ratiocinatæ. Atque hæc, quæ
Attributa dicuntur distingvi ab Essentiâ, & inter se, est talis Erg. Maj.
patet ex descriptione distinctionis rationis ratiocinatæ. Min. ex ad-
ductis exemplis. Hoc B. Jacob. Mart. in Disput. Anti-Calviana Disput.
3. de Attributorum divinorum veritate & distione, illustrat pulcher-
rimâ similitudine, desumpta à radio sive luce solari, quæ etsi simplex
sit qualitas, eminenter tamen potest quasi distingvi (1) in virtutem il-
luminandi, (2) in virtutem calefaciendi, (3) in virtutem rarefacien-
di, (4) in virtutem indurandi, (5) in virtutem liquefaciendi: Quæ
verò

Verò in luce sive radio solari non sunt distinctæ virtutes, sed est una natura, unus radius, una lux: quæ verò non agit in sublunaria adæquatè: sed hyberno tempore illuminat quidem aërem, sed non calefacit, non indurat, non liquefacit: æstivo tempore illuminat eundem simulq; calefacit, & interdum rarefacit: non verò indurat & liquefacit: lutum indurat, sed non illuminat, neq; rarefacit, neq; liquefacit: ceram liquefacit, sed neq; illuminat, neq; indurat. Jam fiat hujus similis applicatio ad virtutem Divinam, & res non erit obscura.

§. 19. Ex jam dictis subjicimus Attributorum Generalem definitionem, ut compendiosè punctus veritatis nostræ sententiæ cuiq; ad oculum pateat. Definiri autem possunt h. m. *Attributa sunt Conceptus inadæquati, Essentiam divinam reciproce denominantes, à quâ ut & inter se virtualiter distinguuntur.* In hâc loco generis ponitur conceptus inadæquati; quia latius patet hic ipsis attributis, cum dentur etiam conceptus, qui non sunt attributa, multominus sunt attributa Divina. Differentia petita est partim à Subjecto, qui est Deus, per quod excluduntur attributa aliorum Entium, quæ non sunt DEUS: partim à modo prædicandi, qui non est essentialis, sed extræssentialis, per quod differunt à conceptibus primis, qui modum prædicandi habent Synonymicum non paronymicum sive denominativum: partim denique à modo distinctionis, qui non est realis sed virtualis, h. e. ut explicat Ebelius l. c. ratione ratiocinata.

§. 20. Superest ut dicamus de divisione attributorum quæ variis modis apud Auctores dividuntur, tum propter intellectionis nostræ infirmitatem, tum propter varios effectus, qui DEO attribuuntur. Præterimus hîc Attributa Divina transcendentia, quæ DEO sub ratione Entis conveniunt, qualia sunt Perfectio, Unitas, veritas, Bonitas, &c. de quibus in *Ὁμολογία* agitur, & tantùm attingemus, quæ DEO conveniunt sub ratione Divinitatis. Fundamentum verò hujus divisionis non quidem in ipso DEO, sed in DEI effectibus est, uti hoc sæpè dictum est. Potissimum verò dividuntur attributa in Absoluta & Relativa. Illa sunt, quæ DEO citra respectum ad creaturas conveniunt, hæc verò quæ aliquem ad creaturas respectum habuit: ita ad absoluta refertur Infinitas, Simplicitas, Immutabilitas &c. de quibus videri potest Klotzius. Respectiva quoq; subdividuntur in Quiescentia & Operativa. Dicuntur Quiescentia, quia intra simplicissimam DEI manent Essentiam, & vocantur immanentia, *ἀνεξέχνητα*. Dicuntur Operativa, quia ita divinæ conveniunt Essentiæ, ut non tantùm in DEO maneant, sed etiam ad extra sese exerant, & per varios effectus manifestent. Ad priorem classem referuntur invisibilitas, incomprehensibilitas, quo etiam referri possunt ipsa attributa absoluta. Ad horum verò classem pertinent voluntas, Potentia, libertas, & alia quæ se per opera externa manifestant, uti jam dictum. Jam in specie agendum esset de singulis singulatim, sed paginæ non permittunt. Ideò hîc subsistimus, DEO pro assistentiâ gratiæ sit laus, honor & gloria.

Ung. VI 59

ULB Halle

3

004 186 672



f


56.

VD 17.

Jun. 2000 U.







Q. D. B. V.
 DISSERTATIO
 DE
ATTRIBUTIS
 DIVINIS IN GENERE, ²⁰

Quam
 SUB PRÆSIDIO
VIRI PRÆCLARISSIMI
DN. M. PAULI PLATANI, Hung.

DN. Præceptoris, Fautoris & studiorum suorum,
 Promotoris observanter colendi.

H. L. Q. C. die 19. Octobris Anno 1678.
 publicè defendet.

GEORGIUS FOERSTERUS,
 Gorl. Lusat.



WITTENBERGÆ,
 Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

h. III. 2955

